…vani. Jos.

Cybulski Pauli Ant. Amplitudo honoris avitae inserta fasciae.

AMPLITVDO HONORIS AVITÆ INSERTA FASCIÆ

sub auſpicatiſsimum ingreſsum
ad Præmonſtratenſis dignitatis Faſtigium
JLLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

D. FRANCISCI JOSEPHI

à Kraſzkowice

KRASZKOWSKI

Sacræ Theologiæ Doctoris

ABBATIS

COMMENDATARII VITOVIENSIS.

Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſneń Cathedralis Canonici, Jnſignis Collegiatæ Caliſſienſis Decani, Præpoſiti Rotolanenſis, &c.
geſtiente tota D. Norberti Familia
omnium plaudente voto & ſtudio
à

M. PAVLO ANTONIO CYBVLSKI
Philoſophiæ in Celeberrima Vniverſitate Cracovienſi Doctore, & pro tunc in LVBRANSCIANOPOSNANIENSI *Academia Grammatices Profeſſore*
inter gratulatorios plauſus
Stylô Oratoriô
ADORATA.

Annô, quô DEUS Faſcijs humanitatis involutus, Orbem gratijs ampliavit 1704. die 21 Menſe Augu:

Poſnaniæ Typîs Academicîs.

Jn Avitum Stēmma

ILLVSTRISSIMÆ DOMVS

KRASZKOVIANÆ



Hoc summum præ alijs tenet ingens FASCIA *donum*
Partum continuâ dexteritate sui.
Quòd pereunt alibi tituli summiq; decores,
Nascentes titulos FASCIA *semper habet.*

AMPLITVDO HONORIS AVITÆ FASCIÆ INSERTA.

DEbebatur Tuorum coronæ meritorum, ingentis Fortunæ donarium, debebatur ut volucrem fatorum rotam intra Tuæ FASCIÆ videres ambitum. ABBAS Jlluſtriſſime. Ne Orbis Tibi gentilitius undiq; gemmeo conſpicuus limite, & magnæ ſemper capax fortunæ pleno meritîs ſinu etiam Honorum ſpoliaretur complementô. Grande eſt inquam os FASCIÆ, majus Tuorum meritorum, cujus anhelitum, ſola titulorum poſſunt ſaciare decora. Hoc in nexu captivus honor, in hoc nodo fortuna ſtabilis, & veluti obligata virtutibus eſſe debet. Quanquam Tu ipſe Tibi effingis virtutibûs fortunam, honores meritîs, inq; Tua FASCIA recenſes & rotam, & vela Deæ inſtabilis. Cæci ſunt illi, qui cæco innixi Numini, ſortis non virtutis rapti ventô, illius veſtigijs, non meritorum greſſibus inſiſtentes, adeunt faſtigia, tangunt culmina, ô breve in honore delectamentum! mox rapiente è ſummo, adversâ manu, in fundum dejecti, ægrè & cum pudore tollunt oculos, tam inviſi quàm invidentes honoribus. Spectavimus monſtra illa poſt purpuras nuda, poſt ſceptra ſub imperio, poſt ſummi ſplendoris ardorem, in ſquallore. Hoc eſt ſibi non fabricaſſe fortunam, hoc ad ſortis impulſum ire.

Tu Arbiter Honoris Tui, jam terminîs Paternæ Teniæ complexus honorem, ſic in hoc gradu ſtetiſti, vt altioribus immineas. Non times ſortem, quam excluſiſti è conſortio virtutum. Lege nunc omnium gaudia, lege Cœtus candidiſſimi plauſus & admirationem, & Ipſius Norberti quandam collige vultûs amænitatem, ex hoc Tui incremento geſtientia. Quiſq; Te exſpectabat cum deſiderio ingreſſurum, incuſabantur tardi dies, ſegnes noctium curſus, menſes videbantur anni, anni ferè ſeculîs conſtabant. adeò apud amantes velocia tempora tardantur! Jam Te in Vitovienſis Abbatiæ ingredientem pomæria, etiam Oratorum ſeqvuntur linguæ, miſcentur aliorum lætitiæ, & plausûs tot geſtientium augent incrementa. Mereris ut deſudent in Te exaggerando ingenia, & linguæ ne ſileant, inter vocalem de meritis Tuis famam. Cum verò ampliſſimæ dignitatis capeſſas fræna, in hoc Tui augmento aſſurget etiam panegyris ſatis ſublimis, ſi vel primi Tui veſtigij obſideat ſtationem, vel umbræ Tuæ comprehendat radios. Dicam jam, quod omnium conſenſus, & de Te magna conclusit multorum conſcientia: nempè; quòd FASCIÆ Tuæ terminîs definiviſti Amplitudinē Honoris, multumq; adhuc ſupereſſe in illa ſpatij, per quod ad Te decurrant tituli, & anhelet magnitudo.

Dabis tamen veniam, ſi tanta audens in amplitudinis decurſu, non ampla; in orbe FASCIÆ, non digna Orbe profudero. Hoc etiam cenſebis in laude Tua, quòd Oratorium dicendi genus exceſſeris, in qua injuria virtutum, etiam amplitudinem Tuam, non elogiô ſuperatam, non amplificatione exaggeratam dum conſpicies, rectè beneq; concludes Te majora geſſiſſe; quàm dici poſſunt.

Ampli-

Amplitudo Nominis Tui illuſtrium Cerarum venerando ordine, augeri priùs debet, antequam ad memoranda opera Tua feremur, ne extemplò in lucem gloriæ irruendo, prætereamus inſalutatas Majorum Tuorum umbras. Creviſti licet propriæ miniſteriô virtutis, tamen, ut Poſteri ſui lætitiâ, etiam ipſi laureati Cineres geſtire videantur, huc magnitudine ſua grandes, virtute inſignes, operibûs clari immortalibûs inferentur. Jlli illi, quos nulla deterruit vis à Patriæ defendenda ſalute, à proſpicienda integritate communi, à libertate propaganda, ab his deniq; *A*-ris Tibi nunc familiaribus, diligendis. Debet dimanare in Majores defunctos, felicitas Poſterorum, quibus ſcilicet debent originem, debeant & gloriam. Fontium laudibus laborant amnes, arborum fæcunditas radicibus tribuitur, ad caput, omnium membrorum recurrit indoles. Quantum laboris antiquorum curioſæ indagationi, Nili ignotum caput impoſuit, cùm quiſq; fæcundiſſimi alveū ſpectaret amnis, fontem neſciret, hauriret aquam, cui terræ ſua debebat commoda, ignoraret: unde in aquarum procellas exundaret ubertas, unde magnitudo prodiret aquarum, ipſe Alexander ſanguine orbis magis quàm purpurâ pictus, eò victorijs pertingere voluit, ubi ſalutaris Ægypto conderetur ſcaturigo; ut ex cunabulis, Nobilitatem fluvij illo Duce, tandem dubius Orbis æſtimaret. Quotus enim eſt? qui non reijcit in Orientem ſolem radios? dicturus in diem auguria, quis non in frontem oculos? hominem totum ſcrutaturus, quis arbòrem creſcentem in ævum deprehenſurus? non tentat radicem. Humanum eſt excutere principia, à ſuo ævo in ſuperioris intrare fidem, ſuam ætatem, immiſcere temporibus Herculis, inferre calamitati

Troiæ

Troianæ, militare cum Alexandro, pugnare cum Tomyri, consulere cum Patribus, celebrare in campo Martis Comitia, tentare plebem, suffragia exigere, & permensis seculorum laboribûs, tandem suam ætatatem vivere. At hæc communis curiositatis sunt documenta. Vidimus illam toties privatæ insudare gloriæ, impalescere cineribus, hærere Regnorum ruderibus, Provinciarum erudendis cadaveribus studere, an aliquid nobiles ruinæ, obsoleta nomina, aptô mendaciô, in antiquitatis recessu ad Familiæ erigendum stemma servarent. Movit Messalam Corvinum Octavij divina expostulatio, ut immistus Troiano incendio Iulum Æneæ Filium, Caput inclytæ posteritati Augusteæ imponeret. Alius rem aggressus est carmine, alius memoriam devicturus, fecunditatem, Familiæ latissimæ appinxit arbori; vel suæ industriæ, vel alienæ gloriæ trophæum, nobile satis, cui nomina Heroum aptabantur, erecturus. Nihil nobilius hoc labore accidere potest humano generi, quô & natorum excitantur ingenia ad Majorum gloriam, & quisq; habet ob oculos vetustatem adorandam generis, à qua quid sperandum ipsi sit, è Proavorum Operibus spem suam acuere poterit. Jlli enim emicante, inter vetustū squallorem, radio, Natorum accendunt aduruntq; pectora, quo sæpius correpti ardore, domestica lumina, inter Rerumpublicarum Regnorumq; fortunam, magno conatu perquirunt, certaturi cum Atavis; quod & illi censiti inter Gentilitia Decora, sunt aliquando posteritatis suæ Majores appellandi. Quot boni superi! à defluentibus Ceris non defluxere, imò pertinaci adhærentes latere, contendêre gressibus, jam segnes prævertere imagines, & si non ordine, Majestate tamen Nominis, Priorum antecederent famam & admirationem.

nem. Extulit se supra Philippum Alexander, supra Iulios Cæsar; & magnus Pompeius supra minores Pompejos; qui cum ultra crescere non potuisset, magnitudinis suæ terminos, intra totam Ægyptum abscondit, mortalitatis & ipsâ umbrâ maximus, quòd totô Regnô uteretur sepulchrô.

Et jam se pandunt diva Majorum atria, augustæ facies, Ceræ perennes, imagines; quas Bruti aut Scipiones inviderent, nec puderet domum Corneliam illas efferre in pompam triumphorum, vel gaudia familiæ. Quæ vetustas, quæ tempora notantur in frontibus, colliguntur ex cineribus. Fides, in illa cæca Poloniarum nocte, invenit illustres, sua tantùm desiderabantur lumina; quibûs illi abundè derivatîs infantem domi suæ fidem in *FASCIAM* reposuere, cum hac creverunt, maturaverunt, & hucusq; perennant. Innocentibus undis sanguis Heroum immistus, pro integritate larium, Templorumq; divinitate fusus, hac toties Boleslao Crivousto, Alcide Poloniæ, militum suorum Æsculapio, exhaustus est vittâ. Parum jam est Alexandrum rigentes frigoribûs milites Regali fulcire corpore, in sinu fovere, in solio reponere; majus est prætentare vulnera, detergere tabum, obligare cicatricem. Quæ Regiæ pietatis prodigia! ne pro se susceptas mortes, graviter pateretur miles, Regalem curam, & Majestatis radios immiscuit doloribus, præsens laborantibus Numen, certa tutella & præmium. Quem ille dolor non solabatur, Principem ad gemitus cum videret accurrentem, quis sanguinem promptus non fundebat, modò purpuram Regalem testem sui cruoris haberet. Tuos ille Majores, suorum triumphorum Comites, pro victoria depugnantes, ubi strage hostium facta, etiam ipsi

 adver-

adverſo corpore glorioſa exceperint vulnera, hac *FASCIA*, quam ab illis victorijs Gentilitiū Inſigne præfers, Regali manu, obligabat. Plena eſt cruoris intra *FASCIAM* purpurata area, KRASZKOVIANÆ virtutis heroicæ documentum, in illo puniceo *Campo*, Martiales referuntur arenæ, perq; ſpatia ſanguine inundata, effuſum barbarorum ſpectatur tabum. Sic aperto in campo exercitata militaris virtus, monimentum Regnorum, ſecuritatemq; *Rerumpublicarū* Arces inquam in JOANNIS KRASZKOWSKI depoſuit tutellam; in quibus non ſine commendatione, pro Nominis ſui deſudabat gloria. Hic circumſcriptus mœnibus latiùs terrorem ferendo quàm ambitum, exterorum oculos & animos, non fiduciâ munitionis, ſed ſuæ fortitudinis conſcientiâ fatigabat. Strues enim ſunt lapidum, non arces, propugnacula dexterrimi Rectoris non commiſſa patrocinio, ſæpè illa audacia, perfidia, & ipſi invadunt Aſelli, ſi quod fulmen non è tormento, ſed ab arca prorupecit. Vidimus ab his dolis proſtrata mænia, exciſas Vrbes, & ipſi Capitolio formidabile pendere fatum. Vidimus etiam difficilem Annibali Sagunti expugnationem, fatalem Miltiadi Samum, obtigiſſe, pro mœnibus operibuſq; cùm dexteritas Heroum, fides Præſidum, fortitudo excubiarum, decertaret. *Aureum* Heroa *NICOLAVM*, Epaminondam Poloniæ *MATTHIAM KRASZKOVIOS* prætereo, ah quos viros? quæ Nomina! ſi *Romanæ* illi vixiſſent fortunæ, nec fatorum arbitrio reſervarentur in ſuæ Patriæ, commoda, quas adoreas, quæ præmia triumphorum recepiſſent? Jllud jam ſuæ Heroicæ virtutis ſolatium in Te ABBAS Jlluſtriſſime ſuſpiciunt, gaudentq; quod in Te Poſtero ſua rependantur pericula, hiſq;

la, hiſq; laboribûs, quòd inter magna Tuá opera cenſitîs amplior in Honoris feraris faſtigia.

Stant altera à parte Maternæ Domûs cum dote illati triumphi, Curules, Nomina Scipionum *DORVCHOVII* inquam à *WIERZBIETIS*, in Annalium operibus, celeberrimis, derivati, à Divûm ſemine & trabeata antiqui Senatûs propagine. Laureati cum bella geſſêre, purpurati, cum in pacis otio Rempublicam tractarent, apparebant. Palatinas Cracovienſes, Caſtellanas Poſnanienſes, Curules, Majoris Poloniæ ſuprema *Aſtreæ* Capita, Generales, gladiũ lancemq; ad ſcelerum terrorem, & tutellam virtutum ſtrinxerunt. Quàm decumana honorum pondera! quanta ſupremi decoris ornamenta! Non hîc referre Referendarium Regni, *IACOBVM DORUCHOVIVM* magnæ injuriæ eſſet, ad Cujus manus, tanquam ad Aſyllum miſerorum querimoniæ fugiebant, ſupplices ſternebantur libelli, tanquam ad ſuæ ſortis Patronum & Nomen tutelare. Digna illa ſunt voluminibûs in miſeros teſtimonia; nullus rejectus ſuperciliô, nullus remotus & à limine,& à ſpe, excubiarum armîs; ibant apertîs januîs ad manus apertas pectuſq; reſeratum, alij, calamitatum impulſi veloci neceſſitate, alij, ab injuria, fortunæ alîs ſpoliati. Querelas aut deſideria ſua promovebant, non ſolùm patienter audiente illo, ſed interdum manu & vultu ipſo, ſi quos fortè inſolitus ille ſplendor percuſſerat, ut auderent, invitante, ut exhauſta cum lacrymis benè querentis ratione, urgentiùs ad Regis aures & manus promoveret indigentiam. Nactus eſt tam pius in humanas neceſſitates Referendarius Regem, qui neminem à ſe dimitteret triſtem, neminem, in quo ſe Vladislaum non probaret liberalem. Promovere vo-

ta mi-

ta miserorum, acclamationes è luctu in solatia transeuntes, Referendarij pietatem, ut Ille hîc Archidiaconus, ibi Scholasticus, ubiq; Prælatus audiretur. Funditur & à trabea *SZYSZKOWIANA* gentilitius in Te Jllustrissime Prælate fulgor, magnum gloriæ Tuæ incrementum, illam Infulam intra domestica computare decora, quam virtus intexuit, pietas erexit, liberalitas etiam in posthuma munificentia, vel Tibi notissima, laudabilis, ditavit. Senatorius in hac gente populus & trabeati Patres, quidquid magnitudine grande, operibûs magnificum, virtutibûs sũmum effecerunt, in Tuam refundunt Magnitudinem, nihil de illa timentes, ubi Tu Amplissimus evaseris. Pandunt se vetustæ propaginis, & contermini intijs Poloniæ *ZAREMBII*, antequam exotica nomina libertatis non suppressisset æqualitas, Comites; Magni; animi & operum fulcrô, Heròés; profligata Pomerania, Ducibûs sexcentîs, quod nec Roma vidit, captis: Pontifices, Vratislaviensî, Cracoviensî, Posnaniensîq; insigniti Infulâ, pij, laureâ & palmîs martyrij: Senatores, Palatina Syradiensi, Castellana Calissiensi, Curuli, Iudices, & quod summum, Generales Majoris Poloniæ, è Domo una tanquam de tota Polonia, tot effusa honorum fastigia necdum adhuc bene exaggerata, omnes honorum occupantia vias, hanc pompã illa sola implerent, nisi omnes contenderent famulari virtutibus. Premunt triumphale honoris iter AvitâSoleâ contermini sanguine *ZAPOLSCII*, Domus si quæ alia adeò Petræ infixa Petri, ut nunquam ab illa aberraverit, clarum, in gente etiam in his libera, exemplum. Et ne quid non magnificum occurrat, trabeam Vielunensem & victricia Moscorum signa sub *VLADISLAO IV.* victrici manu capta huc profe-

runt.

runt, tanquam & ipſi triumphaturi, in *KRASZKOVIANÆ* gloriæ incremento. Ex alto quia jam didicit proſpicere Oratio, dignam vellere, & cælo toties illatam, terris tamen, tanquam ancille in tutellam, conceſſam Navem Czarniecciam proſpicit, fortunam vehentem Domui ampliſſimæ, & jam onerariam honoribûs, totieſq; trophæîs illuſtrem, ut illa una claſſem faceret Poloniæ. Favet illa fortunæ ſpiramentô in *FASCIÆ* ſinum profuſô, & ſe ad fortunatas honorum Inſulas offerret in navigium, ni pennatæ virtutes, deſideria & ſpem Navis feliciſſimæ, occupaſſent. In anguſtum auguſtas Familias contraham ne præcludam ſecuturis virtutibus viam. *BRZECHWARVM, WALEWSCIORVM, TYMIENIECCIORVM, DOMIECHOWSCIORVM, MIASKOWSCIORVM. TOMICCIORVM, BELECCIORVM.* &c. &c. &c, digna pleniori majeſtate & latiorî ſtylô Nomina, hîc tantùm adorata non exaggerata ſunto. Multum adijcitur vel ex ipſa obvia Veſtrûm facie, pompæ huic, ornamenti, quid ſi exundante, verô tamen adoraremini elogiô! Per ſumma Capita ire placuit ABBAS Jlluſtriſſime ut Tu citiùs videreris vel ipſi deſiderabilis Orationi, cum adeò præcipitî ſtylô & curſu ad Te decurrat, ne forſan per purpurata obſtacula, quanquam Tua, longiùs deducta Te veluti omiſiſſe videatur. Ibis ergò poſteritatis Tuæ exemplum, & quondam grande futuris ornamentum, Tuîs jàm fultus decoribûs, Tuîs ſublimis virtutibûs.

In tam magna Natalium profuſus ſorte, undiq; ſuſpiciens domeſtica decora, quæ ſufficere poterant, non adſcitîs aliîs, ad bonam excitandam Indolem, advertiſti animum ad ſtudia. Primas ſapientiæ lineas in Regali duxiſti Lycæo, tanquam jam ad magna

 prælu-

prælud entibûs fatîs destinareris, ibi hauſtâ literarum culturâ, ubi non niſi Reges ſolent decurerre. Ibi Tu inſudare litteris, incumbere in ſtudia, evolvere volumina, & nihil de die ſolido demere, quod non eſſet ad incrementa ſapientiæ. Cum alijs volupe erat otiô traducere ætatem & ſumptus, perdere oleum & operam, deterere ingenium luxu, voluptatibûs, Tu procul remotîs adoleſcentiæ vitiîs erigebas Te, iam in ipſo tyrocinio, grande aliquid & inſolitum ſpirans. Sic in tenero flore fructuum ſpes colligitur, in recenti radice ſurrecturæ arboris præfinitur magnitudo, & è baſi columnæ metitur proceritas. Ut aliquis jecit fundamenta in juventute virtuti, ea nititur adultus mole. Rarus qui cum Themiſtocle adoleſcentiæ ignominiam magnîs emandavit virtutibûs. Glorioſiûs eſt adoleſcentiam inter adverſa ducere, quàm delicata vel otij vel voluptatum lenocinia, dare litteris operam, non ſopori, *ludo* literario, non crepundijs, pulveri ſcholaſtico, non inanium palæſtrarum arenis. Nemo hîs magnitudinem aſſecutus eſt, poſt breve inanis lætitiæ curriculum, ad longæ calamitatis deſcendit ambages & nexus. Merſa eſt nimium audax in futuram ſortem adoleſcentia, ubi abſq; cortice natandum fuerat. Odit cæca licet fortuna ſocordes animas, nulloq; colludere cum illis novit bono, qui toti profuſi à pueris in luſus, nihil prorſûs curavere, niſi dies excutere extrudereq; inanî ludicrorum amænitate. Gratulor illis Tuis annis, hanc providentiæ felicitatem, quòd laborarent, jam pro magnitudine, cum vix ferrent corpora, proſpicerent radios ſuæ ſorti, cum vix diem uſurparernt. Inde in Tuos mores promanavit conſtans virtutum amor, inviolatus candor, & probata pietas, inde ille conſiliorum ſoli-

dus

dus ordo, pondera orationum, & majestatis adorandæ veneratio. Posuisti lineas in illa ætate, iam nunc omnium cultissimam videmus imaginem, jecisti fundamenta, nunc jam præsentas in Te sedem virtutis & domicilium immortalium operum, ut non tam colorem duxisse omnium bonorum videaris, quam universa decora, ornamentaq; matura dexteritate, ponderosa virtute, consumâsse.

Spem hactenùs Tuam numeravi, nunc ad fructus adverto animum. Jam pene omnes Musas complexus animô, omnesq; scientias permensus, excitasti ad Laureas matura tempora, ut nitens Domus Avitâ FASCIA, Apollineâ consecrares laurô, & heroico insigni, Doctorum stemma sociares. Non extraneos inquieto pede metiebaris soles, non aliena subintrasti Lycæa, procul à Poloniæ oculis & conscientia sertum capessurus, sed Regalem Patriæ Tuæ Academiam, & Septemtrionis Decus, hôc Tuô experimentô scientiarum, decorasti. Quô nempe factô Tuô censuisti; ne ad gentiles nati honores Poloni exoticas quærant Athenas, & alienam adorent Minervam, de suo Jove partam cùm habeant in Patria. Recordaris credo illum diem quô inauthorabaris magnus Theologiæ Doctor, quàm omnia subsellia subintravit lætitia, omnes ordines pervagata est amænitas, cum Tu altior alijs, divina exordireris explicare arcana, urgere, promovere, & toto ore fundere, quod Cælum diutiùs invidit mortalibus. Illo Tu annulo omne Tibi desponsasti Cælum, omnes obharasti honores, & sapientiam devovisti; illo inquàm libro, quô Tu Major eras, omnium Literatorum obstrinxisti animos, evocasti calamos, & ferè indicasti Te aliquando immortalium operum serie evicturum, ut de Te

aliquando volumina conscribantur. Quæcunq; illa divinæ scientiæ alto pectore recondisti arcana, ne premeres intra Tui pomæria, è Rostris sacratioribus promulgabas. Quot fundebas verba, tot oracula loqui videbaris, quot sensus proferebas, tot admirationis magniq; stuporis intulisti audientibus prodigia. Attollebat dictionem gravitas, gravitatem scientia, scientiam cælestis illa Theologia, quam Tu intimiorî animô complexus, hominum devincebas & pene triumphabas animos. Tenes hucusq; perennantem Sapientiæ Tuæ conscientiam mortalium, Te locutum semper Theologicè, quod Gregorio Maximo familiare fuerat. Ferunt Mercurium divinæ eloquentiæ adeò valuisse exercitiô, ut hominum aures, pectora, quid dico hominum? Regnorum quoq; traxisset, quod ut magis expressisset nimis sua attollens antiquitas, catenas de ore Numinis profudit, quibûs cum stupore Imperia traheret. Boni superi! an non Tu talis apparuisti, cum in primæva Regni Poloniæ Sede & nido, captivando in Tuæ vim orationis Auditores, eò traduceres, quò tantùm voluisti: Svadebas Cælum, cupiebant Cælum, jussisti contemnere mortalia, prorsus contemnebant, svasisti in vitia odium, eodem omnes odiô crimina sectabantur, injecisti boni desideria, nullus erat, qui non desideraret, quod Tu injunxisti desiderandum. O pij labores! ô desudatæ bene curæ! ô cogitationes gloriosæ!

Exceperunt digna cedrô facinora honorum ornamenta. Dignis enim honor debetur, & illo erigi debent illoq; clarescere. Nempè iam gloria virtutis pedissequa non esset, si eximiam suo decore sponte non sequeretur. Et licet ipsa virtus pretium sibi, solaq; latè nitet secura fortunæ, nihil tamen convenientius

est,

eſt, quàm ut hunc honores ambiant, quem commendat virtutum amplitudo. Nulla enim voluptas humana videtur accedere propiùs ad Divinam, quàm ea declaratio quæ ex honoribus percipitur. Quid ad ampliora erigit hominem! honor; quid ſtimulos addit ad ardua perficienda? honor; quid deniq; nos cælo coronat? honor. Jacerent profectò humana, ſi faſtigiîs non attollerentur, omnes naturæ ſtimulîs agimur ad præmia, impellimur ad ſumma, & nemo eſt, qui non cuperet eminere. Sed quid ego hæc ſolicitè accumulo? peractum eſt in Te PRÆLATE *Ampliſſime*, ut jam nihil dubitemus de virtutum præmio; poſtquam Tu operibûs ampliſſimîs ad Honorum illatus es faſtigia. Gneſnenſis Archicathedræ ſubſellio illatus, auxiſti candorem Liliorum *FASCIÆ* nivibûs, & ferè hic Nodus pertinebat ad legendos ambiendoſq; Regios Flores, at magis Tui mores eo candore conſpicui, ut inter lilia liliati viderentur. Nihil unquam pulchrius eſt, quàm contermina mens honoribus, conſonæ dotes, & par Majeſtas dignitati. Omnia Tu comprehendiſti animô, & videris contendere cum honoribus decore, cum dignitatibus dignitate, cum majeſtate, celſitudine animi & pretiô. In Te recubuit omnium æſtimatio, amor, veneratio, & illa vis conſiliorum, quâ non tantùm præſentibus occurrere, ſed & futuris providere tempeſtivè nôſti. Quanta hæc ornamenta dignitatū! Te felices (crede) evaſere honores, non Tu honoribûs. Multum ille in ſcientiam peccat, cui adeò placent decora, ut in illis ſummam reponat felicitatis, honorum eſt honorū illa, cum bonis occupantur, dignis premuntur, & à doctis adminiſtrantur. Nec Tu uno aſſultu honorum impetitus es, collectâ manu Caliſi-

enſes, Vielunenſes tituli accubuere Tibi, fortunam ſuam reputantes, ſi non reſpueres inſinuatos. Jlla Tuam *FASCIAM* Rotolanenſis Præpoſituræ expugnavit cura, ut ambitu gentilitio ſuam non excluderes fortunam. Ingens eſt animi Tui fortitudo, tam altè de honoribus cenſere, ſtatuereq; qui imbelles multorum animos turpiter proſternunt: ut non vereantur canditati, prehēſando Pātronos exuere & frontem, & ſæpe conſcientiam. Quòd ſi hîc altiùs mentem Tuam ſubintrare liceret, & illud animi ſupercilium videre contigeret, Dij boni! quanta ſeges ab illo interno bono naſceretur Oratori, quanti proventus ab illo pretioſo altioris genij theſauro exundarēt. Licuit tamen inveſtigare cenſuram illam, cum Tu nimium ambientem Te honorem etiam Infulîs conſpicuum proſcriberes & ferè contemneres. Bene ageretur cum mortalibus, ſi tam arduè tractarentur honores, illiq; potiùs expectarent cupidè, non expectarentur ab ambitioſis fervidè.

Capiunt me Tua in honoribus geſta factaq;, pulchrum per illa ferri, quibûs Tu poſteritatem famāq; obligaſti. Et primum eſt robur humani generis, cætuumq; unicum decus ac propugnaculum, firma conſiliorum ratio, quâ Tu ſemper excellere viſus, multorum Capita Tui ſensûs innexuiſti arbitrijs. Delphos aut Pythiam ambagibûs laborantes receſſus, multi timidîs votîs, greſſu inſtabili, mente dubia concutiunt, & toties Nyſa Bacchum avertere contendentes, Numina ſolicitant in ſui deſiderij ſententiam, ignari, plus valuiſſe ſeveram trutinam conſiliorum, quàm inexplicabilia tantùm ſancita. Felix nimiùm, cui hoc bonum inſevit natura, felicior, qui arte Magiſtra auxit prudentiam, feliciſſimus, qui natā

& avi-

& avitam felicitátem ſuam ad fortunæ ictuś dirigere, ad impetus opponere, ad omnia novit applicare. Laudent hoc nomine Vlyſſem veteres, Themiſtoclem Athenæ, Catonem Roma; oſtendiſti Tu tot documentîs prudentiæ Tuæ, in qua famæ claſſe reponi debeas, qui licet non tam amplam nactus es Provinciam, demonſtraſti tamen quid faceres in ampliori, quam fatorum optimô conſiliô nunc capeſſis. Quæ ardua explanaſti, quæ difficilia reſolviſti, quæ deniq; inſtantia præſentî animô expediviſti, ut omnium admirationem evocares, Te non ſolùm futuris benè proſpicere, ſed & præſentibus optimè poſſe occurrere. Teſtabitur eam animi Tui ſolertiam Caput Capitulorum Poloniæ Gneſnenſe, de Te ſeris diſcendum Succeſſoribus reliquet id elogij in ſuis annalibus; Fuiſſe Te mentem Capituli.

Reclinatā in Te curam omniū conſenſu, conſcientiâq; de Tuis Virtutibus ſingulorum, ſic operū erexiſti decoribûs, ut diu in illis Tua duratura ſit dexteritas. Baſilicam, quâ in his partibus, nihil pulchrius & ſanctius, jam vitium accipientem providô conſiliô, ubi ſperabatur labes & interitus, in robur & nitorem reduxiſti. Jlli lapides opplentes jacturam, in Tuæ perennabunt gloriæ authoramenta, & ſe Tua providentia inſertos tamdiu fatebuntur, quamdiu illis ſua durities, ſuaq; perennitas adfuerit. Non tacebunt alij decores Nomina Tua, ſed quiſq; Tua agnoſcens auſpicia Te ſpectandum adornabit venturæ poſteritati. Quid dicam de Magnifica Domo, Tuo ſumptu à fundamentis erecta, dicata ſucceſſoribus, opportuna inter rara ædificia. Ædificaſti in illa nominis Tui perennitatem, erexiſti cogitationes Tuas, quibûs non tantùm Tibi, ſed & poſteris voluiſti conſulere. Quot

illa nanciſcetur Succeſſores, *KRASZKOVIANÆ* memoriæ obligatos ſuſcipiet, in qua mutatîs ſucceſſorum Nominibû, *Tuum* ſemper ceu hæreditarium, non tam operis, quàm gloriæ manebit. Sic beneficia ſolidè in Eccleſiam erigis, ut illa inædifices marmoribus, ſic commodè ponis, ut ſæculorum conſtēt commodis, adeò bene, ut nullus ſit, qui optima *Tua* conſilia non adoret. Cùm nihil offenderis, niſi nudam tellurem, hoc eſt *Tuæ* gloriæ arenam triumphalem, jeciſti fundamenta, eduxiſti parietes, tectô decoraſti, omnem fundum monumentô immortalî occupâſti, & in hanc formam, in qua videtur evehendo ædificium illud, Nomine deniq; *Tuo* ceu Indigete perpetuo honoraſti. Quòd ſi ad beneficia *Tua* obliteranda, nolueris ædificiū illud *KRASZKOVIANVM* dici, grata poſteritas *Te* obluctante & renuente (crede) impoſitura eſt. Sileri enim non debet quod multorum commodis aſſurexit.

Injurius in rem literariam eſſem, ſi favorem & benevolentiam beneficiaq; *Tua* involverem ſilentiô. Aurô digna ſunt famâq; vocalî, quæ *Tu* Minervæ Jagellonicæ præſtitiſti. Quanquam vulgabuntur illa poſteritati, & cenſu dotata literario recentem ſemper ferent memoriam. Hoc enim eſt munus ſtudiorum, ne unquam ſibi ſemel præſtita obnubant oblivione, verùm longa ſerie porrecta ſucceſſoribus, ad metas uſq; temporum, cum nominibus beneficis deferant. *Tuo* ductu, conſiliô, auſpiciôq; olim in literarum emporium Gneſnam inquam (antequam in Polonia quidquam eruditi erat) obliterata Muſarum exercitia introduxiſti. *Tu* Caput omnium rectè ſentientium, aliorum induxiſti ſententias, ut decreto ſancitoq; (ô magnas cogitationes Capituli Auguſtiſſi-

ſtiſſimi) ſemper Academiæ Cracovienſis perrennarent literæ. Pia initiatorum ſacris exercitia non alius traderet, niſi quem Alma Parens deſtinaret, quem ſubmitteret, & pro gloria Nominis inſudare juberet. *Tot Tu* linguas mereberis, quot ſuccedent eruditis eruditi, literatis literati, & cultores Mecænatum cultoribus. Ego in illa Sparta trienniô deſudans! tam ampla affectûs *Tui* recepi documenta, ut nihil antiquius habeam, quàm *Tuam* deprædicare in literas humanitatem, in literatos beneficia, in doctos æſtimationem. Quid ſperare de *Te* debeant futuri, ego indicabo. Nec *Tu* beneficia hæc, quæ palam redeuntibus Muſis demonſtraſti, ſubtrahes creſcentibus, quin, veluti pignora Tua, Paterno ſemper nutu, manu, oculiſq; recreabis. Habe ſub oculis, quid de *Te* cenſeat eruditorum conſcientia, quid deniq; ominetur amor. *Tu* nunquam ex memoria illorum evaneſces, recedes ab oculis; quòd ſi *Te* ſerò ambiverit Cælum, præſens Muſis ſemper Nomen *Tutelare* beneficumq; in ſapientum congreſſibus, eruditorum colloquijs, juvenum exercitationibus, audieris.

Ne nimiùm anxia Candidiſſimi pompa Ordinis abrumpas curſum Orationi? adhuc rara pietatis adducam exempla, antequàm inter Tuos plauſus inferetur. Dicendumne, an ſilendum? quod Tu Cælo ſervaſti tantùm. Sed quia jam ultra humana progrederis, illamq; ſpeculam occupas, ex qua Sanctiorem partem humani generis recturus es, & ad Te quiſq; obverſurus eſt oculos & vitam, ideò appendam lecturis, aut potiùs Te imitaturis. Tanta enim in Te eſt abſtinentiæ laus, ut nullam hebdomadam abſolvas, in qua unum diem non lites jeiunio. Quid ergô epulis Tuis morum populatrix luxuria ſuperbis,

 bis,

bis, velut pretio doctarum facultatum pararis. Mutasti tempora, vertisti in gulæ encomia, non tantùm aves aeriô tutas periculô, aut quæsita naufragijs ostrea, sed uniones ipsos vel inter fulgura conceptos. Datur sæculo nostro rarius spectaculum. Videmus inter tot curas positum, interq; affluentia situm bona, proscripsisse à palato dapes, removisse procul ab oculis mensas, docereq; mortalia in hæc profusa, posse hominem in terris, aliquid posse supra hominem. Quid enim est aliud excludere alimenta, & desinere aliquando exercere hominem, nisi *Angelica* anhelare. Hîc jam igitur degustas, nihil gustando, cælestia, quamq; Tibi sapiant inde colligo, quòd omnia excluseris à palato. *Removeo* jam mensas, ab illisq; totum me in plausum inq; acclamationes obverto.

Ascende Honoris Tui Curulem, ad quam per tot ivisti exercitamenta, ascende eo passu, ut altioribûs insistas, ascende eô votô nostrô, ut Tibi ampliora gratulemur. Intulisti tot gloriæ monumenta honori, tot virtutum phalanges dignitati, ut capi non videaris, sed capere, possedi, sed possidere, haberi sed habere. Flecte oculos, hîc Te genus amplissimum, hîc gesti honores, Nobiles curæ, spreta dignitas, hîc Consus cum Minerva, hîc pietas cum dexteritate ambiunt. Crede nulla pompa pulchrior est, quam his comitibûs absoluta, nullus ingressus magnificus, quē hic Ordo non auget. Prodeant alij aurô onusti, comitatu ex populorū idiomatibus cōfuso, inq; pompam non Regna, sed Orbem inferant, parum erit si nulla virtutum phalanx tot hominū miscebitur opibus. Ad sanctiores Tu titulos destinâtus, ea infers decora, quæ augeant honoris sanctissimi Ornamenta.

Illum

Illum candorem virtutum Tuarum; usurpat sibi Religionis integerrimæ innocentia, illa consilia; dignitatis *Tuæ* amplitudo, sapientiam; Regimen summũ & maximum, illa observata abstinentiæ studia; religiosa parcitas & modestia. O utinam tales ingressus videremus omnes! procul abesset à latere ingredientium ambitio, à cælo injuria, à Comitatu avaritia, non sciret deniq; Orbis, sceleribûs in sacratiora culmina penetrari. Auget præterea pompam Tuam ABBAS Jllustrissime amænitas omnium, si respicies Majorum *Tuorum* imagines, vel pallidîs jam vultibûs innuunt lætitiam, si Amplissimæ Religionis vota hactenùs detenta, eò ferventiùs *Te* excipiũt, quò longioribûs morîs illa detinuisti. Quidni non gaudeant Parentis adventu, Protectoris auspiciô, PRÆLATI sui Majestate; vides quàm cuncta altô ferveant tripudiô; opleta itinera, occupatæ viæ, *Tem*pla exornata, aræ venustiores, ipsum Cælum benignius & amænius Te videntur prospectare, prospectando amare, amando desiderare. Potes eam *Tibi* in futurum formare conjecturam ex omnium animis: nullum certius esse ad fausta regimina auspiciũ, quàm cunctorum combinati in eundem plausum animi. Addis & Tu sidus honorum lucem ingressui huic & omina Jllustrissime & Reverendissime Domine *CASIMIRE BRZECHFFA ABBAS* Trzemesensis, totq; immisces radios, quot magnîs virtutibûs, ingentibûs meritîs accendisti. Rarum est tantîs beari plausus triumphîs, in quibus plus est decoris à virtute, quàm ab extraneo cultu, plus frequentiæ à numerosa gestorum manu, quàm ab inani populorũ turba. Gestis tenerrimô gaudiô, quòd hunc ad honoris deducis Culmina, qui sanguinis gradu proxi-

mus, non solum suæ virtuti laboravit, verùm & Tuæ gloriæ, ut ex una Domo maximi summiq; Patres numeremini. Auges etiam Sidus amplissimum Jllustrissime & Reverendissime JOANNES THEOPHILE GRZEMBSKI Præposite Infulate Strzelnensis, Plocensis, Łancicìensis, Provise Apostolice, Bodzanoviensis Commissarie, Sacri Ordinis Præmonstratensis, Canonicorum Regulariũ per Poloniam & Livoniam in Spiritualibus Vicarie Generalis &c. tiarata luce domesticæ pompam gloriæ, qui vel Tuæ Infulæ majestate olim dignum censuisti, antequam Tua judicia Cælum confirmaret. Tenet nunc quod Tu vovisti, eminet illâ Infulâ, quam Tu imponere desiderasti. O Tua arbitria, quàm Cælo consona fuerant? ô fatorum explorata consilia. Tu initiare Caput illud tiaratis honoribûs voluisti, quod Cælum Numenq; destinabat ad Infulas. Habe jam consiliorum Tuorum solatia, cùm ea jam videas, quæ non sine Numine in Caput istud reponebas.

At Tu Jllustrissime ABBAS Vitoviensis Tuâ undiq; cinctus gloriâ, non absq; gaudio spectas gestientium tot Nominum fervorem & vota, tot populorum lætitiam, tot Religiosæ demissionis amplexus & obsequia. Crede, sic merebantur Tuæ virtutes, sic merita, sic deniq; omnium de Te conscientia, singulorum desideria. Tu amplissimo Præmonstratensium Ordini decus adjicies, Norberto gloriam, Tibi immortalitatem, nec jam Hispanias, Romam, Germaniam adeò se gaudebit implere, quam quòd Gentilitiæ Tuæ FASCIÆ orbitam impleverit. Orbem enim videtur tenere, qui intra Tæniæ hujus steterit ambitum. Tanta est amplitudo parta virtutibûs, dilatata meritis, ampliata honoribus! Vos Superi Indigetesq; Candidissimæ Religionis, quod bonum vobis impetrastis, fovete diu terris, servate ingens gloriæ depositum honoribus. Jlle emensis titulorum Olimpijs, augeat beneficia Vestra, & quas vos Infulas signastis, majoribûs accumulet, ut illius merita, & vestra initia, decumano honorum inædificata ornamento, sic assurgant, ut Orbis deniq; Magnum suspiciat; quem vos cum Avita FASCIA conspexistis Amplissimum.